



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

20. S. Bernardus Mellifluus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](#)

iracundiæ nostræ directè oppositos pro satisfactione nobis ipsis imponamus. In compensationem autem impatientiarum omnium Lyanias de omnibus sanctis coram sanctissimo Venerabili, magnò pietatis, ac devotionis sensu persolvamus. Cruenta bestia ! crudelis ira ! Túne dominari Christi discipulo ?

Festum S. P. Bernardi Cisterciensis Congregationis Fundatoris  
Melliflui.

EXHORTATIUNCULA I.

**H**æret Divus Bernardus inter brachia, & amplexus Crucifixi Jesu. Quis innodavit ? Amor, & compassio. Cur nos otiamur ? dilecte, mihi ! pendet Christus conclavatis, & extensis in cruce manibüs. Et quid vult nisi suos amplexari discipulos ? O fili ! quid moras necimus ? Nostra mora est Jesu crucifixio nova. Curramus, ut citò quiescamus !

*Instructio meritoria.*

Beata anima, quæ quiescit quotidie inter Jesu Crucifixi brachia ! Hæc fateri

490 XX. Augusti. S. P. Bernardi.

poteſt : *Qui redemit me , requievit in tabernaculo meo.* Doleamus , quod tam ferò amorem Crucifixum dilexerimus. Ut vel hodie ſuſcipiamus in contubernalem noſtrum , recitemus officium de Suaviffimo ac Mellifluo Iefu Nōmine à S. Bernardo compositum. Oſi Jesus foret mel in ore , melos in aure , jubilus in corde ! Vt fiat , ſatagamus amandō.

II.

**E**N! flectit coram Maria Bernardus , flectit , ſequē totum committit materno præſidio ſpirans : Maria ! *Monſtra te eſſe matrem.* Quid autem Deipara ? Dans Iefulum ait : *Bernardus ſuſcipe puerum meum , totius mundi Redemptorem.* O dulcem ſarcinam !

*Inſtruçio meritoria.*

Mereri & nos poſſumus , ſi in colendo , & amando ſecuti fuerimus S. Bernardum , cuius ad exemplum pro delendis ſub recitatione officii Mariani commiſſis levitatibus , & negligentiis coram devotâ icone hodie flexis genibūs , & accenſis luminibūs Curſum , ſeu offici-

um



um Majus expleamus. Sinu suo pietatem filiorum excipiet Mater piissima.

III.

**I**N schola S. Bernardi ô qualis nobis relicta est doctrina ! Triplex hæc fuit. **P**rima. Terribile est, Deum exinaniri, & terræ vermiculum gloriari. **S**ecunda. Quò majorem quæremus in creatis consolationem, eò minorem reperiemus in Deo. **T**ertia. Singulis horis cogitare debemus, quò singulis momentis properemus. Hæc memorare tribuit non amplius peccare.

*Instructio meritoria.*

Ad quid venimus ? Fili eleæte ! ut mundum contemnamus , nos ipsos horreamus , & cœlestia ambiamus quotidiano. Hæc nostra debuissent jum dudum fuisse studia. Sed eheu ! Vix non sunt ignota. Pro executione harum doctrinarum Litanias de omnibus Sanctis Cisterciensibus, & Benedictinis ( in Trithemio inventiendas ) recitemus. O quot humilitatis, contemptus sui, & Divini amoris ibi inveniemus Magistros ; invocemus ! Se- quamur !